57

modo adultera, modo casta, modo bona, modo mala, mutabilis est. Et iste quod est, hoc est. Ideo proprium nomen sibi tenuit: Ego sum qui sum. Et hoc et filius dicendo: Nisi credideritis quia ego sum; ad hoc pertinet et: Tu quis es? Principium.
Si igitur incommutabilis est, anima mutabilis, quando capit anima et quasi viderit bona, participando fit bona: quomodo tuus oculus participando videt. Nam lumine subtracto non videt. Cuius participes facta es cum bona esses, qua mutata in peius, integra bonitas permanet, si recedat anima et mala fiat, non minuitur bonitas, si revertatur et bona fiat, non crescit bonitas. Factus est oculus tuus particeps lucis huius et vides, clausus est, hanc lucem non minuisti, apertus est, hanc lucem non auxisti, hac data similitudine fratres intellegite: quia si pia est anima, est pietas apud Deum, cuius fit anima particeps, si casta est anima, est castitas apud Deum, cuius est particeps anima, si bona anima est, bonitas apud Deum, cuius est particeps anima, si verax anima est veritas apud Deum, cuius est particeps anima, cuius particeps si non fuerit anima, omnis homo mendax, si omnis homo mendax, nullus homo de suo verax. Pater ergo verax de suo est verax, quia genuit veritatem. Aliud est verax homo iste, qui iam cepit veritatem, aliud est verax Deus qui genuit veritatem. Ecce quomodo verax est Deus, non participando, sed generando veritatem. Video vos intellexisse et gaudeo. Sufficiat vobis hodie, cetera quando Domino placuerit, sicut Domino necesse fuerit exponemus.

EXPLICIT XXXVIII. INCIPIT XXXVIIII.

AB EO LOCO UBI DICTUM EST: DIXIT ERGO EIS IHS: CUM EXALTAVERITIS FILIUM HOMINIS USQUE AD ID QUOD DICTUM EST: HAEC ILLO LOQUENTE MULTI CREDIDERUNT IN EUM.

hic: quia ergo anima participando fit bona, si mutata esse coeperit mala, bonitas manet, cuius facta particeps bona; bonitas enim cuius facta particeps facta est.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0119